

כּוֹתְ בֵּית

H. E.

EXEGETICO - PHILOLOGICA DISSERTATIO

DE

# SPECIE DOMVS,

LVTH.

Son der Haus-Ehre,

PSALM. LXVIII. v. 13.

QVAM

RECTOR MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DOMINO

# GVILIELMO HENRICO,

DUCE SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, MONTIVM,  
ANGARIAE, WESTPHALIAE, COMITE SAYNAE  
ET WITTGENSTEINII, RELIQVA,

PRAESIDE

# M.IOH.LEONH.RECKENBERGERO,

AMPLISSIMI ORDINIS PHILOSOPHICI ADIVNCTO,

AD ANNI HVIVS DIEM IVLII

PLACIDAE ERVDITORVM DISQVISITIONI SVBIICET  
AVCTOR

# IOHANNES CHRISTOPHORVS MEYER,

RATISBONENSIS,

THEOL. ET PHILOS. STVD.

IENAE A. R. S. CI C 1000 XXXVII.

TYPIS FICKELSCHERRIANIS.

a. XCIV. 23.

coll. diss. A  
4, 23

**LIBERAE. ET. AVGVSTAE. S. R. I.  
REIPVBLICAE.**

**RATISBONENSIS.**

**INCLYTO. MAGISTRATVI.  
DOMINIS.**

**DNO. CAMERARIO.  
DNIS. CONSVLARIBVS.**

**ET. RELIQVIS.**

**PATRIAЕ. CONSCRIPTIS.  
PATRIBVS.**

**VIRIS. ILLVSTRIBVS. MAGNIFICIS. PRAESTRENVIS.  
PRAENOBIЛISSIMIS. CONSVLTISSIMIS. AMPLISSIMIS.  
PRVDENTISSIMIS.**

**DOMINIS. MAECENATIBVS. PATRONIS.  
AC. PROMOTORIBVS. SVIS.**

**HOCCE.**

**QVALECVNQVE. SPECIMEN. ACADEMICVM.**


**PIETATIS. ET. OBSERVANTIAE.**

**DOCVMENTVM.**

**HVMILLIME.**

**DAT. DICAT. CONSECRAT.**

**AVCTOR.**





¶ ¶ ¶

## PROOEMIVM.

Q

Vantos romanæ sedis atque Antichristi doctrinæ asseclæ in debilitanda scripturæ sacræ auctoritate ingenii intendant neroꝝ, liquidissima admodum res est.

Omnem vero tunc, se lapidem movisse credunt, quando talia nobis sacræ scripturæ loca obiicere possunt, quæ primo intuitu has vel illas inuoluunt difficultates. Quare cognita, eo minorem meretur admirationem, quando GVILIELMVS ESTIVS in *Annotationibus suis aureis in præcipua ac difficiliora sacrae scripturae loca*, hanc de Psalmo nostro, quem heic aliquantum consideraturi sumus, (ipſi LXVII.) fert sententiam. *Multa inquiens in hoc Psalmo obscura sunt, tum propter figuratum sermonem, & sensuum profunditatem, tum propter variam translationem, adeo ut solus hic Psalmus sufficiat conuincendis hereticis, qui fingunt,*

A 3

omnia

\* : ( o ) : \*

omnia in scripturis sacris plana esse & aperta. Nec habent quod iactitent, quando illis obscuritatem quandam, in sacris literis occurrentem, concedimus; in hoc ab illis dissentientes, quod neutquam cum ipsis semper *obscuritatem obiectiuam*, quæ ipsis sacris literis inhæreat, asseramus, sed illis sæpius *obscuritatem subiectiuam* adscribimus, quæ a defectu solidæ cognitionis, mediorumque interpretationi scripturæ sacræ inservientium, dependet. Vid. IO. FRANCISCVS BVDDEVS in *institut. Theol. dogmatic. Lib. I. cap. II. §. 20.* Negari equidem nequit, multas sæpius in exponendis sacræ scripturæ locis oriri difficultates, quæ omnes vero, mediis, huc pertinentibus, rite suppeditatis superari possunt; Quales etiam B. LVTHERVS in nostro Psalmo probe animaduertisse videtur, quando in glossa marginali, initio huius Psalmi affixa, ita sentit: *Dieser Psalm redet durchaus von Christo, darum muß man wohl darauf mercken, denn er führet seltsame Rede und Wort nach den Buchstaben.* Minime vero nos tam apparens difficultas ab instituti nostri ratione deflectat, quin potius eo alacriori animo ipsi nostræ pericopæ ulterius explanandæ, manus adiiciamus, & assistente diuina SPIRITVS SANCTI gratia genuinum eius eruamus sensum. Ipsa autem verba, quæ Ps. LXVIII. v. 13. continentur, in textu originali ita se habent: **מלך צבאות ירדון ורורן ונורן בירת תחلك שלל:** Reges exercituum, fugient fugient; & habitatrix domus dividet spolium.

§. I. Sub-

§. I.



*Vbiectum loquens, siue is, qui verba hæc profert, expressis literis non legitur, illud vero Regem & prophetam DAVIDEM esse, ex ipsa huius Psalmi inscriptione facillimo negotio potest colligi. Quæcum inscriptio hunc Psalmum ipsi DAVIDI adscribit, nec orationis series permutatur, & ad aliam personam transfertur, etiam hæc verba DAVIDI esse propria, tuto inde elicimus. Siquidem alias nulla pateat ratio, quare hæc verba, quæ optime tamen inter se cohærent, disrumpantur, aliisque tribuantur, de quibus ipse contextus nullum monstrat vestigium.*

§. II.

Ad rem ipsam quod attinet hic Psalmus *literaliter* agit de CHRISTO eiusque *regno spirituali*. Satis enim æque fundatus ac tritissimus est exegitarum canon: TALIA SVNT RERVM SVBIECTA, QVALIA PERMITTVNTVR, IMO PRAESCRIBVNTVR, A SVIS PRAEDICATIS, conf. Ampl. DNI. PRAESIDIS *Nexus canonum exeget.* §. 53. In quocunque ergo textu talia occurunt prædicata, quæ solum MESSIAM designant, ille textus etiam *literaliter* de solo MESSIA accipiendus est. Præsentem vero Psalmum eiusdem esse tenoris sequenti modo patebit. Ab initio nimirum huius Psalmi diuinus vates exclamat: יְהוָה אֱלֹהִים ex-surgent DEVS dispersentur inimici eius &c. v. 2. Vox אֱלֹהִים plus

A 3

pluralis numeri, constructa cum voce קִי singularis  
 num. non forte *excellentiæ* causa ita ponitur, sed omnino  
*pluralitatem personarum*, in *vnitate essentiæ*, distinctissime  
*commonstrat*, vid. SAL.GLASSII *Phil. Sacr. Lib. III. Tr. I.*  
*Can. 25. not.* IOH. AND. DANZIVS in diff. *de Divina inter co-  
 équales de primo homine condendo deliberatione Gen. I, 26. de-  
 scripta & SEBASTIAN. SCHMID Diff. *de antiquissima fide mo-  
 saica circa mysterium sacro sanctæ Trinitatis comprehensa in ver-  
 bis Gen. I, 26.* in *Fasciculo Dissertationum, Diff. I.* DAVID  
 ergo hanc hostium dissipationem, liberationemque inde  
 resultantem, toti s. s. TRINITATI tribuit. In subse-  
 quentibus vero pluribus adhuc determinat, cuinam  
 TRINITATIS *personæ* in specie hoc insigne ac salutare opus  
 conueniat. Vnde ipsa hæc verba reddimus: *exsurget ali-  
 qua Deitatis persona*, conf. §. 80. II. 2. *Synops. Interpr. DAN-  
 ZII.* Quamobrem v. 8. DEVUM vocat, qui *in deserto ante  
 populum suum egrediebatur*. Respicit nimirum ad mira-  
 culosam plane eductionem populi Israelitici e terra Æ-  
 gyptiorum. Præstata illa fuit Exod. XIV, 19. per  
 מֶלֶךְ הָאֱלֹהִים angelum DEI, qui vero Num. XIV, 14. no-  
 men ipsum esse *essentialis DEI* יְהוָה accipit. Minime ergo  
*angelus creatus aut finita substantia esse* potuit, sed *infinitus*  
& *increatus erat Angelus quem DEVS Ex. XXIII, 20. pro-  
mittit, ipse scilicet MESSIAS*, conf. I.Cor. X, 1. seq. Ali-  
um characterem de MESSIA Propheta v. 9. superad-  
dit, quando *terram contremuisse dicit, ante bunc DEVUM in  
Sinai*. Illo nimirum tempore, quo promulgatio legis  
Israelitis facta fuit, Exod. XIX. Summum autem illum le-  
gislatorem CHRISTVM fuisse, abunde testatur STEPHANVS  
Act. VII, 38. coll. Ebr. XII, 26. Simili modo v. 19.  
dicitur: *ascendisti in altum, captiuasti captiuitatem. Quæ  
verba PAVLVS Eph. IV, 8. expresse de CHRISTO  
enun-**

enunciat. Si ergo tota scriptura sacra D E V M & in primis SPIRITVM SANCTVM habet autorem, prona erit conclusio, illum quoque optimum verborum suorum esse interpretem conf. 2. Tim. III, 16. 2. Petr. I, 21. Quis vero tam impudentis ac scelerati animi, vt ea adhuc in dubium vocaret, quæ ipse SPIRITVS SANCTVS luculentissime exposuit? Sic etiam verba v. 22. seq. ineptum plane protruiderent sensum si in alium quempiam præter MESSIAM transferantur.

### §. III.

Quando §. præced. diximus, hunc Psalmum *literali* de CHRISTO agere, illud de *sensu literali* dictum accipimus, quod scilicet *ille conceptus, quem SPIRITVS SANCTVS immediate per verb. i intendit*, vnice ad CHRISTVM referri debeat. Id quod in primis contra illos annotauimus, qui Psalmum hunc secundum sensum literalem *victoriam* in se continere credunt, quam DAVID, deuictis suis hostibus, reportaverat, & prophetice tantum de CHRISTO intelligendum esse putant. Re ipsa vero vel *duplicem* vnius sermonis *sensum*, vel *nudam accommodacionem* admittere coguntur. Quam ineptam sententiam in genere solide refellit B. RAMBACH. in *Institut. Herm. S.Lib.I.Cap.III.¶.8. & 11.\** vid. & ea, quæ Cel. DOMINVS PRAESES l. c. hac de re disputat. §. 31. & 40.

### §. IV.

Vaticinatur ergo DAVID de *temporibus MESSIAE* venturi v. 19. Istud vero *tempus*, quo MESSIAS in mundum venit, novi Fœderis tempus dicitur; prædictit ergo DAVID de temporibus futuris N. T. & in primis liberationem atque vindictam, quam MESSIAS de hostibus suis sumet, annunciat. Qua de causa etiam iustos ad lau-

laudem erga D E V M excitat v. 5. 26. 27. 33. seq. qui tantam salutem in ipsos contulerit; variaque illis beneficia ante oculos ponit, quibus tam largiter essent prædicti v. 10. seq. Denique v. 13. ulteriore promissionis gratiæ divinæ iniicit mentionem, *Reges exercituum* inquiens fugient &c.

## §. V.

Duplicem in hoc vers. exhibit *promissionem*, quarum una his verbis exprimitur מלכִי צבאות יְהוָה. Vox מלכי, quæ ab *absoluto* מלך descendit, iuxta communem loquendi usum, significat *Regem*, sive *illum*, qui *alius tam consiliis quam legibus ac maiestate præst*; quamuis in sacris literis sub *alio* etiam significatu interdum occurrat, ita, ut *tantum superiorem seu gubernatorem*, nec semper *illum qui insignibus viribus opibusque præditus, in alios suam exercet potestatem*, denotet. Et in hoc significatu venit Iud. I, 6. seq. vbi *Adonibesek* iactantem legimus, septuaginta REGES amputatis manuum pedumque pollicibus collegisse sub mensa sua, sibique seruiles præstitisse labores. Vnde etiam parem fortis expertus euentum, iustissimam DEI diuidicauit vindictam, dicendo, *sicut feci, ita mibi retribuit D E V S &c.* Hos ipsos vero septuaginta *Reges*, haud nimia præ cæteris eminuisse potestate, neque amplam terræ habuisse ditionem, omnes circumstantiæ satis declarant. Et licet hoc Israelitarum bellum iussu atque promissione diuina gereretur, ipsa tamen potestas & regnum, quod *Adonibesek* inde subactis tot Regibus sibi comparasset non potest concipi. Similis adest ratio cur illi *Reges* qui Gen. XIV, 1. seq. enarrantur, non eiusdem autoritatis esse potuerunt, sub qua vulgo regia appetit dignitas. Quatuor nempe ibi *Reges* conuenerant, qui *aliis quinque Regibus* moliebantur bellum inter quos etiam

iam *Reges Sodomæ* atque *Gomore* nominantur. Quem fugit vero, Sodomam atque Gomoram fuisse vrbes, a D E O ob immania flagitia euersas? Gen. XIX, 24. Quo venit, vt vnicus *Abraham*, fama ad eum de *Lotbi* captiuitate perlata, cum trecentis octodecim seruis expeditis *qua-  
zuor* istos *Reges*, non in fugam solum coniecerit, sed & omnem de illis reduxerit prædam. Attamen cum ipsum nomen *Regis* tantam antiquitatis notam inferat, ex ipsa dignitatum origine res hæc diiudicanda erit. Nulla autem dignitas sine *societate* potest concipi, ad societatum ergo indolem, heic nobis recurrendum erit. Etenim cum ipsorum hominum post diluuium magis magisque accreuiisset numerus, sine dubio tales aderant, qui communem præfixum viuendi habebant scopum, sicque societatem constituere sibi proposuerant; vbi valde probabile est, quosdam illis interfuisse, qui *vel* viribus, *vel* prudentia præ ceteris eminuerunt, sicque sibi *vel* per pactum, *vel* per vim, tantam au<sup>t</sup>oritatem comparauerant, vt reliqui ab eorum nutu pendere voluerint. Quo maior igitur illa erat societas, eo magis quoque eorum adaugebatur dignitas, in primis cum iniuriam aliorum a suis depellere tenerentur. Hinc illi, qui antea potius *gubernatores* atque *prefecti* dici merebantur, tantam denique assecuti fuerunt maiestatem, vt re vera *Reges* salutarentur.

## §. VI.

Altera vox, qua cum propheta istos reges coniungit est *אֲנָשִׁים אַרְבָּהֶן exercitus*. Vulgaris huius vocis significatio ibi deprehenditur, vbi sermo de *militia* quadam bene disposita, & in certas classes redacta, instituitur. Et hac ratione de *militum copiis* usurpatu*r* i. Sam. XXVIII.

B

V.I.

v. i. vbi de Philistæis dicitur, quod *castra sua congregas-*  
*sent in exercitum* לְצָבָא ut cum Israelitis inirent prælum.  
 Haud pauca vero eiusmodi occurrunt loca, vbi plane  
*alium* hæc vox obtinere videtur *significatum*, quando  
 e. g. de *stellis* Gen. II, i. Deut. IV, 19. & *angelis*, i. Reg.  
 XXII, 19. adhibetur, in quibus locis notiones rerum  
*vel* præter necessitatem multiplicandæ, admissis variis  
 locutionibus figuratis; *vel* dicendum est, itam vocem  
*quamvis congregationem copiose factam in genere* denotare,  
 ita ut varias deinceps *determinationes* specificas, pro va-  
 rio loquendi usu accipiat. Quo facto, non ad maiorem  
 solum perspicuitatis gradum ipsæ notiones euehuntur,  
 sed omnes etiam istæ difficultates, in excogitandis for-  
 mulis allegoricis exortæ, facillime euitantur. Huic  
 autem significatui ex voto ipsa verbi radicalis respondet  
 deduc̄tio. Radix enim נַחַת non semper illum requi-  
 rit *actum*, quo quis cum altero configendi causa congressus  
 fuerit, sed sub eiusmodi etiam saepius occurrit notione,  
 ut *quamlibet concionem, copiose factam, ad hoc vel illud per-*  
*agendum* denotet. Quo sensu de *mulieribus* I. Sam. II,  
 22. adhibetur, quæ ante tentorium conueniebant  
 בְּצָבָא ad certum ministerium destinatae. conf. Exod.  
 XXXVIII, 8. Quis enim diceret, mulieres hunc in-  
 finem ante tabernaculum comparuisse, vt aciem for-  
 marent, dimicarentque? Notari tamen meretur, ver-  
 ba cit. I. Sam. II. apud LXX. *Interpr.* plane esse omissa,  
 quæ tamen in Codice Ebr. leguntur: quod vero inde  
 accidisse probabile est, quia *vel* verba illa, expositionis  
 tantum causa addita fuisse putabant, ita, vt prioribus  
 maiorem affunderent lucem, *vel* non satis adhibita cura  
 hunc errorem irrepisse, quo venit, vt hodie plane ex  
 illorum Interpretatione exciderint.

§. VII.

## §. VII.

Peculiare vero, quod diuinus Psaltes de hisce Regibus exercituum commemorat, hoc verbo addito exprimit. Diuersæ in exponenda hac voce Interpretum sunt sententiæ. LXX. *Interpretes* reddunt per τὸν ἀγαπητὸν τὸν ἀγαπητὸν *dilecti dilecti*, quos etiam sequitur versio *vulgata*. Sine dubio sinistra illos huius vocis deriuatio in hanc deduxit sententiam, cuius originem ab Ebræorum nomine יְהוָה petuisse videntur. *Radicem* nimirum, Ebræis plane in verbo quoad hanc significacionem inusitatam, substituebant, de qua istam vocem descendere credebant, cuiusque usus apud *Arabes* deprehenditur, quibus وَنَّ Wadda amauit, *dilexit*, significat. Quamuis autem ipsa huius vocis origo verbalis fuerit deperdita, frequens tamen *deriuati* inde nominis usus in dubium vocari nequit, qui v. g. conspicitur Deut. XXXIII, 12. Et. V, 1. quale nomen Salomonis etiam impositum legimus 2. Sam. XII, 25. Pari modo eius usum *Rabbini* probe norunt, dicentes יְבָנָה יְהוָה יְבָנָה יְהוָה לְיְהוָה בְּחַלְקֵו שֶׁל יְהוָה וַיְהִכְפֵּר בְּנֵי יְהוָה יְבָנָה יְהוָה זֶה שֶׁל מֶרֶח הַמֶּלֶךְ רְכִתְבֵּב וַיְשַׁלַּח בְּנֵי נָתָן הַנְּבִיא וַיָּקְרִיא שְׁמוֹ יְהוּדִיָּה בַּעֲבוּר הַבָּנָה יְהוָה זֶה אַבְרָהָם רְכִתְבֵּב מֶרֶח לְיְהוָה בְּבֵיתֵי יְבָנָה יְהוָה זֶה בֵּיתֵי הַמִּקְדָּשׁ דְּכַתֵּב מֶרֶח יְהוּדִיָּה מִשְׁכְּנָה יְהוָה לְיְהוָה זֶה הַקְּבָרָה דְּכַתֵּב אֲשִׁירָה נָאָה לְיְהוָה בְּחַלְקֵו שֶׁל יְהוָה זֶה בְּנֵי מִן שֶׁנָּאָמָר לְבָנֵי אָמ' יְהוָה הַיְשָׁכֵן לְכֹתֶב עַלְיוֹ וַיְהִכְפֵּר בְּנֵי יְהוּדִים אֶלָּו יִשְׂרָאֵל רְכִתְבֵּב נָתָן אֶתְכָּסֵל: Veniet dilectus, filius dilecti, et edificabit dilectum, dilecto, in portione eius dilecti, et expiabuntur in eo dilecti. Veniet dilectus, hic est Salomon Rex, quod scriptum est, 2. Sam. XII, 25. ideo

misiit sub manum Prophetæ Nathan, qui vocauit nomen eius Iedidiah propter Iehouam. *Filius dilecti*, hic est Abram, eo quod scriptum est, *Ier. XI, 15.* Quid dilecto in domo mea, & ædificabit dilectum, hoc est domus sanctuarii, uti scriptum est: *Ps. LXXXIV, 2.* quam amabilia habitacula tua? dilecto, hoc est, Deo, sicuti scriptum est. *Ies. V, 1.* cantabo queso dilecto meo, in portione dilecti, hic est Benjamin, quod dicitur: *Deut. XXXIII, 12.* Beniamini dixit, dilectus Iebouæ, habitabit secure apud ipsum, & expiabuntur in illo dilecti, b. e. Israel quod scriptum est: dedi dilectiones animæ meæ in manum hostium *Ier. XII, 7.* vid. *Tract. Talmud. Menachoth* fol. *LIII.* fac. *I.* lin. pen. seq. At, quid iuuat frequentissimus etiam deriuati inde nominis usus, si ipsa inflexio vocis יְהוָה, in textu nostro currentis, omnem dicendi consuetudinem negligat. Si enim cum *LXX.* tanquam nomen accipias, & id quidem singularis numeri, nunquam hanc vocem sub tali forma in sacris literis apparere, repugnat; ita, ut demum talem formam fingere debeas, qualem in præsenti negotio esse iubeas. Quod si in plurali numero efferres, eadem remanet difficultas, imo, quicquid tentes, nunquam tamen nomen inde extorqueri potest, quod nostro exakte respondeat, cui non communis simul Ebræorum loquendi usus, ex omni parte aduersaretur.

### §. VIII.

Hanc ipsam vocem accuratius paulo nobiscum pensantes, facilime genuinam eius originem inuenire possumus. Potissimum, quod huc facit, est dagesch forte,

forte, quod literæ ־ impressum conspicimus. Satis enim constat, Ebræos dagesch forte sub *triplici respectu* considerare: *sive* illis venit tanquam nota characteristica coniugationum grauium, mediæ radicali impressa, *sive* illud compensationis loco, & tanquam signum abiecitæ cuiusdam literæ, adhibent, *vel* meræ euphoniacæ causa illud adiiciunt. Quod ad *prius* attinet, illud propteræ non admittere possumus, quia nullum sub ista facie nomen quoddam occurrit, cum ipsa Radix יְהָיָה Ebræis quoad usum verbalem sub illo significatu, quem h. l. habere debeat, esset incognita, vnde eo minus coniugationem grauem indicare poterit. *Alterum* vero magis veritati accedere videtur. Suadet nimirum externa huius vocis ratio, vt illud sub verbali potius accipiamus significatu; Nec ullum fore credo, quem res ista apud Ebræos fugiat frequentissima? quod scilicet primam radicalem interdum, ob ingratum qui inde producatur, sonum abiificant, cuius defectum postmodum in sequenti litera per dagesch forte compensare student; conf. DANZII *Institut.* §.44. Id quod in primis etiam verbis, a ב incipientibus, obtingit. Si ergo loco adhibiti dagesch fortis literam ב substituimus; prodibit radix נְהָר cuius quoque significationem hoc loco amplectimur, & haic ipsam vocem יְהָרֹן exponimus per fugient. Diceres forsitan, *tertium* adhuc superesse; quod antea monuimus, ita vt dagesch ob meram *Euphoniam* literæ ־ fuerit impressum. At, cum ipsa Euphonia suspecta esse posset, & neque ad illam confugere necesse habeamus, neque id etiam vocalium admitteret ratio, consultius est, vt illa supersedeamus. Probe iam huius vocis significationem verbalem B. LUTHERVM animaduertisse, abunde ex *versione* eius

B 3

ger-

germanica cognosci potest ; quando hæc Psalmi nostri verba ita transfert : *Die Kœnige der Heerscharen sind unter einander Freunde* ; quem etiam HIERONYMVS iam diu antecessit , quippe qui hanc vocem , *per confæderabuntur* , interpretatus est . Hacque ratione in determinanda huius vocis significatione , radicem potius יְדֹוָר unde nomen רָוֵד *amicus, dilectus* , descendit , excogitabant . Quæ radix autem hanc ob causam admitti non posse videtur , *tum* , quod Ebræi verbalem etiam eius usum plane neisciunt , *quum* etiam , quod illius significatum contextus nostri circumstantiæ omnimode respuunt , cuius rei veritas ex infra dicendis magis patebit . Illa vero radix נָרָד , quam modo posuimus , maxima cum grauitate in sacra scriptura est coniuncta . Sic v. g. scriptores facri hanc vocem adhibent , quando de *celerrimo auium volatu* sermonem instituunt , vid. Es. XVI, 2. Ier. IV, 25. c. IX, 9. Prov. XXVII, 8. parimodo *fugam* , quam maximum comitatur tedium , vox ista exprimit e. g. Psalm. XXXI, 12. Nah. III, 7. & denique cum *in situ* quodam *animi tremore* occurrit . Es. XXI, 14. 15. cap. XXII, 3. cap. XXXIII, 3.

### §. IX.

Insignem præterea , *duplex* vocis יְדֹוָן *positus* , involuit *emphasim* . Diuina omnino scripturæ sacræ origo requirit , vt , nihil in ea deprehendi , quod otiose fuisse possum , statuamus . Cum enim D E V S nobis per *scripturam sacram* ea primario , quæ ad salutem æternam spectant , declarauerit , necesse est , vt tantam quoque vocum perspicuitatem adhibuerit , quanta ad cognitionem hominum fuerit necessaria . Diiudicamus vero scripti cuiusdam perspicuitatem ex eo , quando *easdem*

*notio-*

notiones, quas autor illius scripti sub verbis suis expressit, iterum assequi possumus, ita ut eas tanquam cognitas mente nobis representemus. Illæ notiones igitur nobis sint cognitæ, vel si minus, satis expositæ necesse est. Notiones autem per verba exprimimus, quæ si sunt signa notiōnum, signa ista nobis debent esse cognitæ. Et quo plura adsunt signa, eo plures in nobis oriuntur notiones. Si signa sunt diuersa, diuersas etiam nanciscimur notiones, si sunt eadem, notiones etiam manent eadem. Si signa manent eadem, nullibi patet, quomodo hac ratione perspicuitati consulatur, siquidem semel expressa iterum proferantur, quæ lectorem magis retardant, ne plenum sermonis sensum eo citius posset assequi, quam promouent. Quia vero plane hæc perspicuitati aduersantur, multo minus ea sanctissimæ D E I voluntati, sapientissimoque eius fini essent conformia. Quod si ergo in sacris literis talem vocum repetitionem deprehendimus, omnino dicendum est, D E V M nobis simul per illam aliquid indicare velle, cui attentiore inhæreamus animo. Altior autem eiusmodi sensus, quam quem verba per se fundunt, dicitur emphasis, duplex igitur verbi יְהוָה positus nobis fistit emphasin, vid. D A N Z. *Synops. Interpr.* §. 169. coll. Cl. D N I. P R A E S I D. *Nex. can. exeget.* §. 121. Quo circa non absolum solum est dicere, sed etiam depravatæ mentis vestigium, censere, otiosa quædam in sacris literis posita esse. Id quod iam dudum S A L. G L A S S I V S P b l. S a c. Lib. IV. Tr. II. Obs. 13. p. 1230. pie ac eruditè obseruauit. Quare inquiens, si quicquam abundare in eo videtur, id admirandum patius spiritu & fide, quam eludendum ac irridendum carnali affectu est.

## §. X.

## §. X.

Pluribus etiam insolita huius vocis inflexio hanc vrget emphasin. Iuxta vulgarem enim dicendi usum, (۱) in voce יְהוָה in (:) corripiendum esset, ita vt sub hac postmodum forma appareat יְהֹה: quod cum tamen retineatur, maxime id annotari meretur. Quotquot vero diuersarum linguarum peruestigamus species, quælibet illarum *determinatum* quendam exhibet modum, in exprimendis vocum significatibus; quem quam diu rite obseruamus, puritatem linguæ sequi dicimur. Si quis vero a semel illo recepto loquendi usu recedit, illud vel ex linguæ ignorantia vel ex errore factum fuisse, iudicamus. *Vtrumque* maximam imperfectionis labem detegit. Non possumus, D E V M scripturæ sacræ auctorem profitentes, concedere, quicquam in illa contineri, quod puritatem linguæ offendat. Variâ tamen eiusmodi in sacris literis occurrunt exempla, quæ contrarium euincere videntur. At, cum *scriptura sacra* res sæpiissime pertractaret, quæ maximi sunt momenti, potissimumque obseruari merentur, opus etiam est, vt certis quibusdam vtatur signis, ex quibus ipsa rei grauitas cognosci posset. Quæ signa plerumque vel ex ipso vocum positu, vel ex insolita illarum inflexione, vel ex aliis adiectis characteribus depromit. Non ex improviso igitur hæc, etiam in nostro loco, facta fuisse, vt credamus par est; sed prægrandem inde & omnimodam Regum exercituum dijudicamus fugam. Vbi diuinus vates nos tanquam ad rem inauditi alias euentus ab omni parte præparare studet. Idem quoque sentiendum est de (۲) quod *paragogicum* vocant, vid. I. A. D A N Z I I Comp. Gram. Ebr. Gbald. §. 54. I. n. 2. in fine huius vocis adie-

adiecto. Cuius rei magnitudinem *tonus* ex ultima syllaba in penultimam retractus ulterius adhuc componstrat.

### §. XI.

Altera promissio, cuius in nostro textu fit mentione, his verbis exprimitur: **נָתַת בֵּיתְךָ תְּחִלָּךְ שְׁלִילָךְ** quæ verba B. LUTHER. exponit: *und die Haus-Ebretheilet den Raub aus.* Versio autem vulgata habet, **¶ species domus diuidere spolium.** De genuina huius vocis significatione solliciti, sistitur haec vox in *statu constructo*, cuius *absolutum* cognoscit **נוֹתֶרֶת**, vti & ipsa radix cum eo conuenit. Haec autem radix **נוֹתֶרֶת** duplicitum vice quoad significationem verbalem in sacris literis occurrit. vid. Exod. XV, 2. Hab. II, 5. In quo ultimo loco haec verba leguntur: **אַפְּכִי הַיִּזְ בּוֹגֵד גָּבָר יְהִיר וּלְתָהּ וּנְתָהּ** *Et quanto magis vinum fallax, vir superbus, sed non habitabit.* Non simpliciter, ac sine omni restrictione vox **נוֹתֶרֶת** accipi potest, ac si ab omni habitatione fuerit exclusus, siquidem ipsa habitatio generalis nimis admittit significatum, ita, vt *queuis commoratio diuturna in aliquo loco* per eam posset intelligi, quo sensu etiam *bestiis*, in speluncis atque desertis latentibus, habitatio quædam tribuitur, conf. Job. XXXIX, 6. al. 9. Quo circa quietam potius, atque *tranquillam inhabitationem* hoc verbum denotat, quæ viro isti superbo denegatur. Eodem sensu descendens inde *nomen* **נוֹתֶרֶת** Ier. VI, 2. legitur, vbi Propheta haec profert verba: **הַפְּרוֹרֶת וְהַמְּעִנְגָּרֶת רְמִיתִי בַּת־צִוָּן** *quiete habitanti, atque deliciis dedit&, assimilauit filiam Zionis.* Plerique interpretum hanc vocem a rad. **אוֹרֶת** *pulchrum, decorum esse,* vel si plane ad rabbinorum configiunt aras, nomen

C

il-

illud a rad. פָּנָס pulchrum esse deducunt. Sicque hunc tramitem incedit vulgatus pariter *Interpres*, ac SEBASTIAN. CASTELLIO in *Vers. lat.* reddentes, speciosæ & delicatae &c. SEBASTIAN. SCHMIDIUS in *Vers. lat.* exponit per formosam. Qui vero eiusmodi formationi adstipulantur, haud exiguis fere exponunt difficultatibus. Si enim radicem פָּנָס assumunt, nullum in toto codice ebræo exstat vestigium, vbi hæc radix nude & sine permutatione literarum posset conspici. Evidenter lubenter largior, eiusmodi mutationem literarum unius organi in sacris literis satis esse fundatam; attamen, an præter necessitatem arripienda esset, maxime adhuc dubito. Rabbinis igitur potius, hanc radicem eiusque usum relinquimus, de quibus visitatione exempla adducit IOH. BVXTORF. in *Lex. Rabb. Talmud.* p. 1285. Quod si præterea ad radicem פָּנָס in Coniugat. Kal insitatam in formatione huius nominis se conferant, illis equidem formatio, ex coniugatione Niphal desumpta, concedi potest, potissimum tamen contextus ratio, in hoc negotio illis quam maxime adhuc obstat, cui multo melius consultur, si hanc vocem a radice נִוְתַּרē deducimus. Verba enim priora tunc magis cum sequentibus cohærebunt, vbi de pastoribus, gregem suum in regione hierosolymitana pascentibus, sermo instituitur, quippe qui populum quendam maxime incautum, & in omnibus deliciis suffocatum, ibi præoccupabunt.

## §. XII.

Pari ratione etiam formationem vocis נִוְתַּרē in Psalmo nostro occurrentis adstruimus, qua in re eo minus *Versioni Vulgatae* assensum præbere possumus, quo magis

magis a vero deductionis modo recedit. Si enim rad. **נָוֶה** secuta fuerit, cuius rationem vox *species* includit, vocalis (.) quæ sub absoluto existeret **טוֹרֵת** fieret *vocalis impura*, quæ nunquam in statu constru<sup>c</sup>to in (:) potuisset corripi. Conf. D A N Z. *Instit. §. 17. c. 6.* Deriuamus igitur potius hanc vocem **נוֹתַת** a Radice **נוֹתָה**, cuius significationem antea iam determinauimus, vnde & hanc phrasin **נוֹתַת בִּתְחַנֵּן** per *habitatrixem domus* cum SEBASTIANO SCHMIDIO in *vers. latin. exponimus*; siue *eam*, nativa huius vocis significatione sic suadente, intelligimus, que *domum quiete atque tranquille inhabitat*. Eadem insuper vox quoad formam externam etiam legitur Iob. VIII, 6. ubi *Bildad Suchita*, vir ex numero amicorum *Iobi*, illum sic alloquitur: *si mundus atque rectus fuisses, tunc euigilabit super te, et rependet נָוֶת צָרָקְךָ* *babitaculum iustitiae tuae*. Si quis vero istum significatum, ad præsens nostrum interpretandi institutum illaturus esset, ob *parallelismum verbalem* heic inuentum, illi præcipue verba B. RAMBACHII, cuius in re exegetica merita post mortem etiam magni habenda, opponimus, *cauendum est*, inquietis ne putemus *unum locum parallelum alteri quodammodo similem, ius quod-dam in alterum babere*. Vid. *Instit. Herm. S. L. II. c. IX. §. 9. caut. 5.* Minime enim sufficit nudum parallelismum instituisse, sed de eo dispiciendum in primis est, an reliquæ *contextus circumstantia* eandem vocis significacionem etiam admittant nec ne? Quod si ergo istam vocem, quæ IOBI loc. cit. apparet, sub notione *babitaculi* ad nostrum textum conferas, vel plane nullus inde resultaret sensus, vel dicendum esset, verbum **הַחֲלֵק** non *tertiam personam fœmini*, sed *secundam masculini generis* denotare. Quo facto hunc tandem eliceret sensum; ba-

*bitaculum domus siue domesticum, diuides spolium, siue inferta particula, ב, in spolium.* Et hac ratione, totum hemistichion ad præcedentem versum referendum es-  
set, vbi dicitur אָדָנִי יְהוָה אֲמֹר Dominus dabit sermonem.  
Minus vero congrue tam *subitanea personarum permuta-  
tio* potest asseri, quam & ipsa *accentuum luculenter ad-  
modum prohibet ratio.*

### §. XIII.

Ipsum autem *prædicatum*, quod diuinus vates de  
hac *domus habitatrice* enunciat, in eo constituit, quan-  
do dicit *תַחַלֶק שֶׁלֶל diuidet spolium.* Eadem *pbrasis* etiam  
obuenit Ios. XXII, 8. Exod. XV, 9. Iud. V, 30. de *prædicta*  
*ex hostili agmine reportata*, conf. Gen. XLIX, 27. Es.  
IX, 2. XXXIII, 23. LIII, 12. Coniugatio autem *Piel*, in  
qua hoc verbum legimus, insignem huius diuisionis in-  
nuit *modum*, quem in finem etiam ipsi tantam signifi-  
cationem adscribimus, vt *omnimodam quandam diuisionem*  
*spolii* denotet, conf. DANZII *Synopsis Interpr.* §. 59.

### §. XIV.

Euolutis sic verborum notionibus *rem ipsam*  
*paulo penitus pensitemus* necesse erit. Quando igi-  
tur nos ad prius membrum explanandum accingamus,  
*diuersam admodum istorum verborum deprehendimus*  
*interpretationem*, pro diuersa scilicet eorum ratione, qua  
verba יְהֻדָּן exponere sunt solliciti. Qui enim rad. דָוָה  
siue *fundamenti loco posuerunt*, illi pio animi ar-  
dore, præcedentia verba de *coniunctissimo apostolorum in-*  
*ter se amore accipiunt.* Ita quoque B. LVTHER. T. I. oper.  
Ien. Germ. fol. 555. col. 2. sentit, dicens: *Die Könige dieser*  
*Heerscharen, sind die Apostel, für der Welt angesehen für arme*  
*Knechte*

Knechte, aber für Gott grosse Könige, item daß dieser Vers sich gar nicht last versteben, den allein von den Aposteln, die sind allein rund um einmütig gewesen im Glauben, Lebren, Regieren und Leben, wiewohl etliche Bischöfe ibnen bernach gefolget, aber noch nie allesamt so einmütig als die Apostel gewesen. Vielweniger sind die Propheten im A. T. einig gewesen, daß nicht umsonst dieser Vers die Apostel für ein Wunder ausschreuet, damit baben sie auch so viel Frucht bracht, und die Welt bekebret, daß nach ibnen niemand so viel gethan bat. Si Iudeorum sententiis aurem præbemus, illi per hos reges exercituum vnanimi consensu intelligunt Gentiles, qui ex terra Israelitica recedere coacti sunt. Et hunc in finem RABBI ABRAHAM ben ESRA in h. l. scribit וְזֹה הוּא כוֹרֵךְ צָבָאֹת יִדּוֹן יִדּוֹן מִפְנִיכֶם וְהַטְעַטְּכֶם כִּי מֶלֶךְ צָבָאֹת הָגּוּם יִבְרָחוּ מִפְנִיכֶם וְיִדּוֹן פָּעֵמִי. Et hoc est quod dicit: Reges exercitum fugient fugient a vobis; Et hic sensus est: quod Reges exercitum gentilium fugient e conspectu vestro imo fugient aliquando. Eandem quoque sententiam fouet R. SALOMO IARCHI in h. l. & uberiorius mentem suam adhuc sub his verbis explicat: וְזֹה כָּרֵךְ צָבָאֹת הָגּוּם יִדּוֹן יִדּוֹן יִתְנַדְּרוּ וַיּוּשְׁלַמְנָה כִּי מֶלֶךְ מֶלֶךְ אָרֶץ יִשְׂרָאֵל וְכָנָסָתְךָ יִשְׂרָאֵל Et quid est, quod dicit reges exercitum gentiles fugient, recedent & evanescunt, e medio terra Israelis & e congregazione Israelitica. Hacque ratione propheticum hunc sermonem ad illa dirigunt tempora, quæ mœstissimum illum reipublicæ iudaicæ sicut statum, vbi terra Israelitica non solum a gentilibus occupata erit, sed vbi etiam Synagoga siue Ecclesia iudaica ethnicorum inferuet negotiis. Etsi voci הגוי Rabbini ampliorem significatum adiungere solent, ita ut quemuis sub isto verbo comprehendant, qui neque ex gente ipsorum ortus, neque sacris

C 3 ipso-

ipsorum adstipulatur. vid. B V X T O R F. in Lex. Rabb. Talmud. p. 402. Vnde eo facilius cognosci poterit, illos maxima flagrare cupiditate, vt hostes isti rursus eiiciantur, ac deleantur, quo magis implacabile illorum odium, quo cum gentiles prosequuntur, omnibus innotescat. Notari tamen ea merentur verba, quibus R. S A L. I A R C H I ad interpretandum locum Ex. XX, 18. usus fuit. Enarratur ibi fuga pariter ac terror populi Israelitici, quippe qui, facta promulgatione legis, tot fulguribus atque tonitruum stupendis fragoribus perterriti, fugitiuo pede retrogressi sunt. Id quod ipse scriptor sacer loc. cit. prolixius nos edocet, dicens: קָרְבָּנָה וַיַּעֲמֹד מִרְחָק commoti sunt et steterunt a longinquo. Quam fugam, inde satis determinasse sibi hic Iudæorum Doctor persuadet, quando illam per duodecim millaria extenderet. Quo circa, ad firmiorem sententiam suam reddendam, haec Psalmi nostri verba adducit, & sequentem in modum de fuga ista differit. הַיּוּ נָרְתָעֵנִים לְאַחֲרוֹנִים שְׁנִים עָשָׂר מִילָּא כָּאַרְךְ מִחְנִיה' וּמְלָאכִי הַשְּׁرָת בָּאַיִן וּמְסִיעָן אֶתְזָן לְהַחְיוּרָה שֶׁל מֶלֶכִי צְבָאוֹ יְדוֹדָן יְדוּבוֹן Fuerunt retroacti retrorsum duodecim millaria iuxta longitudinem castrorum suorum, et angeli ministerii veniebant et opem ferebant eis ad reducendos illos, eo quod dicitur, Reges exercituum fugient fugient. Vulgaris haec inter hodiernos quoque Iudæos circumfertur fabula, quamuis tam repentinum atque longe remotum iter, ipsorum fidem excedere videatur. Malunt ergo istam fugam ad minorem reducere numerum, & tantum tria millaria apponunt, cuius memoriam hodie etiam renouare student. Vnde mos iste adhuc inter illos obtinet, vt finitis circa matutinum tempus precibus vel tres passus recedere, vel ob spatii defectum ter subsilire teneantur, vid. KIRCHNER im Iüdischen Ceremoniel p. 25.

§. XV.

## §. XV.

Coarctatos nimis terminos Iudæorum interpres in definiendis his מלכי צבאות Regibus exercituum, constituunt, quando ad gentiles, iudaicam terram debellantes, illos referre volunt. Etenim, non vnius ac alterius cuiusdam regis in textu nostro fit mentio, sed quod maxime notari meretur, fugam illam Propheta de pluribus pronunciat. Imo subsequens verbum ידורוּminus recte cum antecedentibus cohæreret; non simpliciter enim fuga quædam annotatur, quam aliquando Reges exercituum dare cogerentur, ita ut post aliquem temporis tractum pristinas vires, ac potestatem rursus, recuperarent. Maius enim quicquam emphatica illa vocum repetitio concernit, & omnimodam fugam atque ejectionem significat. Siquidem nec ipsi Iudæorum Interpretes determinare audent, quo tempore eiusmodi gentilium e terra Israelitica ac Synagoga facta fuerit depulsio, sed alto silentio illud intactum prætereunt. At, dissimulare potius, quam reuera tot ignorare videntur strages, quas populus iudaicus a gentilibus fuit perpeccus. Illos igitur tantum adeant, qui antiquiora rerum monumenta composuerunt, illaque literis exarata reliquerunt; quæ omnia de misera illorum captiuitate templique ipsorum deuastatione, satis & abunde testantur, conf. 2. Reg. XXV. coll. Ier. LII. Et quamuis postea in terram iudaicam reduces fuerint facti, illisque templi reparatio fuerit concessa, nunquam tamen iugum, a gentilibus ipsis impositum, penitus excutere potuerunt, donec tandem VESPASIANI temporibus templum ipsorum demolitum, & postea ADRIANO imperante regno iudaico moestissimus impone-

nebatur finis. Quem fatalem regni huius terminum ad hodiernum vsque diem deplorare coguntur. Cætera vt taceam, cum eiusmodi interpretatio iam ipsis textus circumstantiis maxime esset contraria.

### §. XVI.

Tutio rem multo, atque certiorem viam, præter hæc incedere possumus, si ad ipsas *contextus circumstantias* accuratius paulo attendimus, vbi in primis ad ea nobis respiciendum erit *momenta*, quæ Propheta sub initio statim huius *Psalmi* adduxit. Describit scilicet v. 2. infensissimos D E I hostes atque osores, qui, D E O ex parte recturo, vel se suamque potentiam manifestaturo, dissipabuntur & interibunt. Præcipue v. 3. modum illorum interitus, partim a fumo vndiquaque a vento agitato, atque diffuso, partim a cera, ab igne liquefacta, desumit, hancque vulgarem quotidianæ rei experientiam, tanquam symbolum adhibet, per quod repentinam atque certissimam hostium illorum definit perniciem. Conf. MARTIN. GEIER. in h. l. Alias hostes D E I in sacris literis amicis D E I opponuntur, quos posteriores ipse C H R I S T V S illos esse dicit, qui præceptis divinis morem gerunt. Ioh. XV, 14. οὐμεῖς φίλοι με εἶτε, εἰσὶν ποιῆτε ὅσα εἴγω ἐντέλλομαι ὑμῖν. Vos amici mei esatis, si facitis, quæ E G O vobis præcipio, vbi tuto de diuinitate C H R I S T I ex aliis principiis iamiam satis conuicti, colligere possumus: Si illi C H R I S T I dicuntur amici, qui eius præceptis obtemperant, sequitur, vt iidem etiam D E I sint amici, quo sensu etiam A b r a b a m u s a m i c u s D E I dicitur 2. Chron. XX, 7. coll. Iac. II, 23. Hostes igitur D E I non eiusmodi fortis homines esse possunt, qui ipsum D E V M, tanquam perfectissimum bonum, odio prosequuntur, id quod contra omnem humanæ mentis indolem

lem fuerit excogitatum. Vnde etiam B. D. MARTIN. GEIER. in *Commentario in hunc Psalmum ad v. 2. & 22.* ita differit: **D E V M** namque ceu summum bonum vix directe aut immediate odit quisquam, nisi extreme a Satana exæcatus induratusque. Vi igitur oppositionis, hostes **D E I** illi esse debent, qui *præceptis divinis, D E I que voluntati omnibus viribus sese opponunt.* Quo circa etiam **D A V I D** v. 3. illos, quos antea hostes **D E I** nominabat, sub *impiorum nomine* inducit; horum & in *oppositione v. 4.* iustos ob ingens illorum gaudium, felicissimos deprædicat, adeoque etiam illos ad *laudes D E O canendas* quam maxime excitat. Quem in finem illis hanc **D E I** celebrationem, in enarrandis beneficiis diuinis, quam maxime inculcat v. 5. seq. quo facto v. 12. sub his verbis pergit: אָרְנֵי יְהִזְכֵּר הַמְבָשָׂרָה צָבָא רַב Dominus dabit sermonem annunciatrices exercitum multum. Quibus postea statim v. 13. connectit: *Reges exercitum fugient fugient &c.* Superius iamiam significatum verbi נִדְרָה ex usu loquendi biblico eliciimus, quem eiusmodi conditionis esse deprehendimus, vt fugam, cum *animi simul pauore* coniunctam, denotaret, vnde etiam hos reges tales esse oportet, quos *insitus* quidam *animi pauor* hinc & inde agitat atque anxious reddit. Cum itaque David v. 2. eiusmodi fugam de hostibus **D E I** commemoraret, hostes autem ibi dicantur *impii*, impios quoque hoc loco intelligendos esse, indissolubilis verborum nexus, siue contextus, id vrget conditio. Ita vt *impii*, copiose licet aduolantes, & in omne scelerum genus coniurati, repentinam tamen fugam capessere cogantur. Proinde, quando *fuga* ista, *Regibus tantum exercitum tribuitur, denominatio a potiori instituitur, & certissimum rei determinat cuentum.* Prostratis enim *regibus*, siue prima-

riis cuiusdam *exercitus*, reliqua hostium turba, eo ci-  
tius a persecutoribus potest obrui, atque dispelli. Et  
hac ratione omnia illa non cum *precedentibus* solum opti-  
me conueniunt, sed etiam cum *sequentibus* v. 22. 24.  
quando *vindicta* proponitur, quam DEVS ab *hostibus*  
suis sumet, arctissime cohærent. Interea præter ne-  
cessitatem illi heic aliquid assumpsisse videntur, qui  
*Mimesin* quandam, siue talem *loquendi modum* vbi verbum  
*dicere omittitur*, his verbis immiscere volunt; inter quos  
MART. GEIER. l. c. refert IVNIVM & PISCATO-  
REM, ita nempe, vt verba hæc, ad præcedentem vo-  
cem *המבשרוּ* referri, & pro argumento illius acci-  
pi debeant, quod *annunciatrices* essent prolaturæ. Quem-  
admodum alia *scripturæ loca* hoc sæpiissime suadent, vt, alia  
interueniente persona loquente, omissum verbum *di-  
cere* supplendum sit, quamvis oratio continua esse vide-  
atur, vid. SALOM. GLASSIVS L.V. Tr. II. Cap. IV. p. 2025.  
Attamen, minime hoc vocis cuiusdam *supplementum*  
admitti potest, priusquam *contextus* id obseruare nos  
iubeat, & *sensus* obscurus ac ineptus reddatur. Siqui-  
dem *scripturæ sacræ* tanta, quanta potest tribuenda est  
*perspicuitas*. Cum ideo hæc verba iam satis essent cla-  
ra, neque in connexione cum cæteris difficultatem  
quandam relinquerent, consultius omnino est, vt illa  
pro *continua* potius propheticæ sermonis *enarratione* ac-  
cipiamus; quippe quæ prioribus maiorem lucis affun-  
dunt claritatem, & *possibilitatis* quasi designant *modum*,  
qua scilicet ratione DEVS verbum illud sit manife-  
staturus.

## § XVII.

## §. XVII.

Quæ cum ita sint, facillime etiam ex altero tex-  
tus nostri membro, quod vltius explanandum restat,  
sensum eruere possumus. Si rursus hoc in negotio  
ad Iudeorum interpres illorumque explicationem atten-  
dimus, omnis illorum argumentandi ratio in eo con-  
sistit, vt priores suas meditationes magis suffulciant.  
Præmissa nimirum verborum **מלך צבאות** expositio-  
ne, per quam ineptus illorum prorupit conceptus,  
quem sibi de *externa terræ iudaicæ quiete*, percussis  
gentilium copiis, formarunt, omne nunc reliquum  
negotium cœtui, Hierosolymis relicto, adscribunt.  
Qua de causa etiam R. ABEN ESRA explicaturus voces  
sequentem in modum ad hunc locum differit.  
**הקהלת שנשארה בירושלים שלא יצא למלחמה**  
החלק שלא יצא מירושלים, qui *relictus est Hiero-*  
*solymis, qui non egressus est ad bellum, diuidet spolium, qua-*  
*nto magis, qui egressus est.* Vberius hac in re mentem suam  
R. SALOMON IARCHI explicare tentat, quando eum  
ad h. l. ita sentientem conspicimus:  
**שהיא נורת ביתך** *Quod illa habitatrix domus diuidet spolium*  
החלק אשר שלא כמו שנאמר והיור בחרורה  
*illum, quemadmodum dicitur, & erit mercatura eius &*  
merces meretricia eius sanctum &c. Locus heic alle-  
gatus desumtus est ex Es. XXIII, 18. vbi Propheta præ-  
dicta primum *Tyri deuastatione, illius etiam restauratio-*  
*nis, post septuaginta annorum spatium euenturæ,*  
mentionem facit. Proinde ipsa verba, quibus Pro-  
pheta usus fuit, ita se habent.  
**קדרש ליהוֹרָה לְזַעֲרָה וְלִצְעָרָה יְחִסֵּן כִּי לִישְׁכִּנָּס לִפְנֵי יְהוָה**  
**סִחרָה לְאֶכְלָל לְשִׁבְעָה וּלְמְכֹסָה עַתִּיק** *Et sicut mercatura eius*

D. 2

eius

eius & merces meretricia eius sanctum Iehouæ, non in thesaurum reponet, nec reponetur; nam habitantibus coram Ieboua erit mercatura eius ad edendum ad satietatem & ad tegumentum vetus. Iudaicum vero hunc doctorem his verbis non plura probare posse, quam quæ similitudo, quæ inter duo hæc loca intercedit, admittit, quilibet attenus lector vltro perspiciet. Siquidem res ipsæ quam maxime inter se sunt diuersæ. Si quain enim inde duceret sequelam, ea hunc in modum institui deberet: Quemadmodum ESALIAS propheta de Tyro prædixit, fore, vt post eius restorationem negotia DEO fuerint sacra, ita & habitatrix domus, de qua in Psalmo nostro agitur, profligatis hostibus, ea quæ haec tenus profanata erant, ad DEI sacra destinabit. Aut quod non difficile coniectu est, crassus iste conceptus de terrestri MESSIAE regno, his in terris stabiliendo, hic latitat.

### §. XVIII.

At, vagam hanc firmoque veritatis talo destitutam vltro relinquimus Iudæorum sententiam, & ea potius sectamur, quæ genuina nobis contextus suadet ratio. Enarrata nimirum fuga, regum exercituum, siue illorum, qui MESSIAE regno resistunt, hæc statim prioribus connexa verba leguntur: **ונות בירצ חלך שלל**  
 & illa, quæ quiete domum inhabitat, diuidet spolium. Diuinus vates heic tantum diuidere spolium tanquam rem, quæ ex omni parte attentum requirit animum, adducit, quamuis præterea nihil de eius vi ac potentia commemeret. Spolium, si ordinario procedatur modo, haud obtineri potest, antequam ab hoste victoria sit deportata. Et illo deuicto, demum licitum est, eius opibus potiri, vt in commune cadant spolium. Attamen,

cum

cum in nostro textu eiusmodi *spolii distributionem* deprehendimus, ratio de re tam insigni non in his vocibus  
 נורַת בֵּיתָן quærenda erit, siquidem ei minus recte hoc  
 prædicatum, *diuidere spolium*, conueniret, sed ad re-  
 pentinam potius atque prægrandem illam respicien-  
 dum erit *fugam*, in quam *reges exercitum* fuere coniecti.  
 Quo facto, facile nobis postmodum diiudicatu erit,  
 quidnam phrasis illa נורַת בֵּיתָן inuoluat. Dauid sci-  
 licet vers. præced. dicit: *Deum daturum fore verbum*,  
 רְבָתִים בְּנֵי מִצְרָיִם *annunciatrices*, (bonas nuntias)  
*exercitum magnum*. Verba hæc ad ritum illum respici-  
 unt, in veteri fædere usitatissimum, quo mulieres, vi-  
 ctoria quadam obtenta, *DEO hymnis grates agebant*, il-  
 lumque vndiquaque laudibus extollere studebant. Id  
 quod luculenissima exempla euincunt v. g. Exod.  
 XV, 20. Iud. V, 1. Cap. XI, 34. I. Sam. XVII, 6. 7.  
 Vid. D. MART. GEIER. cit. loc. p. 1167. Imo sæpiissime in  
 sacris literis status atque conditio *Noui Fæderis* sub va-  
 riis aliarum rerum *symbolis* exprimitur: modo sub sym-  
 bolo *mulieris* occurrit, vnde etiam ecclesia CHRISTI, eius  
*sponsa* dicitur atque *unionem spiritualem* denotat, quo in-  
 primis SALOMONIS *Canticum Canticorum* pertinet: conf.  
 SAL. GLASSIVS in *Phil. Sacr. L. V. Tr. I. Cap. XII. p. m. 1819.*  
 modo sub symbolo *diuturnæ pacis*, ac exoptatæ quietis  
 proponitur e. c. Es. XXXII, 18. Ez. XXXIV, 25. Nec  
 pro terrestri quadam *pace* status hic *noui fæderis* haberi  
 potest, quia alias tot *persecutiones* totque *calamitates* con-  
 trarium plane euincerent. Neque unquam MESSIAS  
 terrenum regnum iuxta *Iudeorum* somnium his in terris  
 erigere voluit, quam sententiam ipsemet Ioh. XVIII,  
 36. reiecit, multo minus *armis* externam pacem obti-  
 nere curauit. Quo venit, ut & omnes *promissiones*, quæ

D 3

MES-

MESSIA venturo *pacem* simul innuunt, de *spirituali pace*, quam **CHRISTVS** cum **DEO** nobis acquisiuit, accipi debeant. Et hac ratione ea intelligi poterunt, quæ **ESAIAS** C. XXXIII, 20.seq. profert, quando hunc in modum *Zionem* alloquitur: *Oculi tui videbunt Ierusalem habitaculum tranquillum &c.* cuius deinde veram rationem versu 22. iniicit, quia scilicet יְהוָה *iudex illius*, vnde euersis hostium conatibus insigne partietur *spolium*. Propheta statim versu 1. huius Cap. vastatori illi alta voce *acclamat*, illique repentinam tot molimum totque progessum haec tenus felicium ruinam *annunciat*. Sine dubio Propheta per hunc vastatorem *R̄gem Affyriorum SANCHERIB* intelligit, cuius minas atque irrisiones in populum Iudaicum Cap. XXXVI. prolixè enarrat. Et licet *Rex Affyriorum* tot copiis instrutus terram Israeliticam sit inuasurus, propheta tamen pergit, certissimamque salutem, quam **DEVS** populo suo sit præstiturus versu 4. 10. &c. promittit, ita ut *Rex iste tumidus* cum omnibus suis viribus corruat pereatque. Prædictione igitur facta de *bostium* dissipatione, atque pace inde resultante, Propheta simul occasionem arripit, stabilem illam *pacem* insinuandi, qua sub **MESSIAE** regno fruerentur. Illa enim verba quæ a v. 20. usque ad finem Cap. habentur neutquam de externo tranquillo *reipublicæ statu* accipi possunt, dum satis constet, recuperatam illam quietem haud nimis longe perdurasse. Propheta quoque C. XXXIX, 3. ad *Chiskiabum* rediens hæc verba ad illum facit: *Audi verbum IEHOVÆ, DEI exercituum, ecce dies venient, & auferetur omne quod in domo tua, & quæ maiores tui in thesaurum collegerunt usque ad hunc diem versus Babylonem &c.* Quæ dicta abunde omnia Prophetæ sententiam de *spirituali pace* suffulciunt.

§.XX.

## §. XX.

Si præterea huius vaticinii verbis diutius paulo immoramur, easdem fere inveniemus *circumstantias*, quas in *Psalmi nostri pericopa*, iamiam conspeximus. Eadem adsunt *tempora*, in quæ hoc vaticinium incidit, utraque enim *Novi fœderis* designant statum, quin imo res ipsæ in iisdem pertractatæ optime inter se consentiantur. Quando igitur diuinus *Psaltes* in nostro textu inquit בֵּית נָה id eundem cum eo inuoluit sensum, quod Propheta loc. cit. exprimit per *Ierusalem*, *tranquillum habitaculum habentem*. *Ierusalem* in primis *tum ob* multiplices promissiones de **M E S S I A** per Prophetas factas, *quum ob* vitam & doctrinam **C H R I S T I**, nomen suum posteritati commendauit, unde sæpiissime in sacris literis *noui fœderis* fistit statum, atque pro ipsa **Ecclesia C H R I S T I** assumitur vid. *s. G L A S S. P H I L. S A C R. Lib. V. Tract. I. Cap. XIII. p. m. 1879.* Vnde sensus verborum Prophetæ hic est: *Videbunt oculi tui Ierusalem i. e. ecclesiam noui fœderis, habitaculum tranquillum &c.* Quippe qui sensus etiam illis verbis, in textu nostro occurrentibus optime respondet. Superius enim iamiam observatum fuit, vocem נָה vi suæ originis *illam* denotare, quæ quiete quicquam inabitat. Vox בֵּית autem in genere locum significat, quo aliquid includimus; unde præcipue *Rabbini* hac voce in compositione cum aliis frequenter utuntur, cuius rei plenum fere indicem exhibit *i o h. B V X T O R F* in *Lex Chald. Rabb. Talm.* sub hac voce. Ac probe monet *S A L O M. G L A S S I U S l. c. C. XII. p. m. 1851.* sub ista voce haud raro repræsentari *ecclesiam C H R I S T I* ubi deinceps rationem denominationis explicans, ita „differit: Aque ita dicitur (sc. ecclesia domus) ob familia-

-  
rem

„rem Dei cum beatis conuersationem, sicut paterfamilias  
 „in domo sua, cum suis domesticis familiariter conuersatur, ob  
 „perfectam Dei notitiam & claram eiusdem visionem, sicut  
 „paterfamilias a suis videtur & agnoscitur: ob quietam & secu-  
 „ram habitationem, sicut in corporali domo habitationis commo-  
 „ditas, possessionisque securitas prestatur, &c. Quo circa si  
 ipsam verborum Psalmi nostri sequamur in dolem hunc inde  
 elicimus sensum: Et illa, quæ quiete inhabitat domum, siue  
 ecclesiam, dividet spolium. Ipsa autem quies ex oppositione  
 diiudicanda erit, seque ad fugam regum exercituum re-  
 fert, quæ in verbis antecedentibus fuerat promissa.  
 Nullam enim hæc habitatrix domus in propellendis im-  
 piorum conatibus impendet operam, multo minus in  
 ipsa illorum fuga erit occupata. Vti demum illa fuga  
 a maiori vi atque potentia procedit, ita in re potius  
 tam graui atque prægrandi suscipienda, tranquillum sem-  
 per obtinebit statum. Donec inde vberrimos percipiet  
 fructus largissimumque acquiret spolium. Et ex eadem  
 hacce oppositione diiudicari poterit, quidnam de illa ba-  
 bitatrice domus statuendum sit. Nam cum per Reges ex-  
 exercituum hostes MESSIAE essent accipiendi; illa e con-  
 trario que domum siue ecclesiam quiete inhabitat subditos  
 MESSIAE significet necesse est. Quodnam istud sit  
 spolium, ex Esaiæ ore clarius patebit. Ipsa verba quibus  
 Propheta in eius descriptione utitur maximi sunt pon-  
 deris, dicens: אֲשֶׁר כֹּזֶב מְרַבָּה פְּשָׁחִים בָּנָיו  
 tunc dividetur præda spolii i. e. maximum spolium coll.  
**DANZII Synops. Int. §. 18.** multiplicans i. e. אשר quod adeo  
 erit multiplicatum cit. loc. §. 178. vt etiam claudicantes  
 prædentur prædam i. e. certissime occupabunt prædam coll.  
 §. 35. ibid. Ipsa præda non robustis forsitan, virisque ma-  
 ximis copiis instructis adscribitur, quibus alias prædam  
 depor-

deportandi contingit facultas, sed ipsos *claudicantes* i. e. in genere moestos atque afflictos v. Es. XXXV, 6. ad rem tam *insignem* denominat. Ex *antecedentibus* facile collectu erit, voces עֲרָשֶׁלְיָה non ea significatione accipi posse, qua vulgo alias veniunt, ita, vt *terrestres* illas denotent *opes*, quas alteri, illo equidem probe gnaro, sed inuito eripimus. Si quidem Propheta *pacem* promittit non *terrennam* forsitan sed *spiritualem*; ergo nec *hostes*, quorum irritos conatus exponit, nec *spolium*, quod his deuictis distribuendum erit alio sensu assumi debet, quam iuxta cundem, quem *spiritualis pacis* requirit promissio. Cæsis equidem hostibus, victores, illos vterius persequuntur & quicquid illis occurrit, proripiunt, si itaque Propheta *claudicantium* mentionem facit, qui *spolium* essent deportaturi, illud tantum sub his fieri poterit circumstantiis, si spolium adeo magnum ac amplum euadat, vt omnes victorum æque manus ac vultus excedat, quo facto *claudicantibus* denique ea obtainere licet, quibus alias fuerint priuati. Amplissimum itaque Propheta his verbis *victoriæ* significat ambitum, cuius etiam miserrimæ fortis homines fierent participes, non eo autem sensu, ac si viliora saltem ac vltima ad illos perueniant, sed vt eo magis *spolii copia* atque *magnitudo* inde appareat. In primis autem versu sequenti saluberrimum illum *effedium*, ex *spolio* hocce erumpentem, pluribus sub his verbis videmus expositum; *Neque dicet habitator, infirmus sum, quibus propheta statim annexit.* *הַעֲבֵד הַיֹּשֵׁב בָּה נִשְׁאֵן עַז* *pulo habitanti in illa condonata erit iniquitas.* Vox חַלָּה in Coni. *Kal* proprie significat ægrotare, *infirmum esse.* Intimus autem huius verbi cum *antecedentibus* requirit *nexus*, vt ab isto recedamus significatu, qui alias huic verbo competit, vi cuius *corporis* quandam designat *infirmitatem*. Si quidem ex antea iam dictis liquet, Prophetam *rem spiritualem* intendisse, saluberrimamque illam *pacem* annunciauisse, quam MESSIAS, hostibus suis deuictis, esset recuperaturus, quo facto nunc vterius felicissimum *subditorum* statum in hocce MESSIAE *regno* degentium, declarat, ita, vt nullos

E

nullos illos tangeret *morbus*, nullaque eos defatigaret *afflito*. Quo circa ipsa *causa*, tam exoptatæ vitæ conditio-  
nis ex sequentibus Prophetæ verbis cognosci poterit: *Enic*  
*inquietis, populo, habitanti in illa condonata erit iniquitas.*  
Non inepte vox *ps* h. l. pro *pœna peccati* assumi potest, quo  
sensu etiam *Gen. IV, 13.* illam deprehendimus. Vid. R.  
ABEN ESRA ad *b.l.* col. Leu. XXVI, 41. cum glossa LVTHERI.  
*Condonata* igitur *iniquitatis pœna*, tanta inde producitur *sa-  
lus*, vt nullus ex illis *habitatoribus*, in MESSIAE *regno* viuen-  
tibus, tantas protrudere *querelas* necesse habeat, quibus  
animum suum amplius reddat anxiū ac dubium. Cum  
*econrario* alias grauissimos sentiret dolores, *tum* ob ingen-  
teū peccatorum labem, *quum* ob iustissimam, vndiquaque  
hinc imminentem pœnam, in illo exortos. Nec ex impro-  
viso hæc ita proueniunt, multominus cuidam ex illis habi-  
tatoribus tanta agendi adscribitur facultas, quanta ad impe-  
trandam hancce salutem sufficiat; sed omnia illa ad *præce-  
denta* respiciunt verba, in quibus de *diuisione spolii* sermo  
erat institutus, quæ non *largissima* solum sed *saluberrima*  
in primis suscipietur *ratione*. Qua de causa etiam hoc *spo-  
lium* eiusmodi quicquam in se continere debet, ex quo tam  
insignis effectus potest concipi. Notissimum autem id in  
*scriptura sacra* est dicendi genus, quod per hanc *vocem*,  
aut per integrum potius hanc *pbrasim*: *distribuere spolium*,  
*plenam atque perfectam victoriam* significat. conf. Ef. LIII, 12.  
Luc. XI, 22. Col. II, 15. Cum itaque Prophetæ de MESSIA  
eiusque *regno spirituali* loquitur, per hunc loquendi mo-  
dum *plenam atque perfectam MESSIAE victoriam de hostibus suis*  
*partam* exprimit, cuiusque saluberrimi fructus in omnes homi-  
nes largissime sese extendunt. Et hac ratione facillimone  
negotio *integrum sensum* verborum DAVIDIS, in nostro *Psalmo*  
assequi possumus, si pericopam illam sequenti ratione expo-  
nimus: *Reges exercituum fugient fugient*, i. e. omnes, qui-  
cunque MESSIAE, eiusque regno fuerunt aduersi, fugient pe-  
nitus, & ea quæ domum quiete inhabitat, diuidet spolium. i. e.  
subditi MESSIAE eiusque regni, qui MESSIAM sancto animi se-  
quun-  
zollun

quuntur ardore, eiusque meritum iuxta normam salutis apprehendunt, ea victoria, quam CHRISTVS acquisiuit, non aliter fruerentur, ac si se ipsos in MESSIAE eiusque regni hostes victores præstitissent.

§. XXI.

Plenarium denique huius *vaticiniti complementum in scriptis literis* satis deprehendimus fundatum. Delapo enim genere humano, statim MESSIAS a DEO erat promissus, qui *caput serpentis conterat*. Gen. III, 15. Hic ipse fuit, in quem tot *vaticinia* erant directa Act. X, 43. usque dum ipse in hunc mundum peruenit, eaque impleuit, quæ tot hominum spes atque fides anxie expetiit. Cum non omnia solum *peccata* in se suscepisset Ef. LIII, 4. *violatamque DEI iustitiam expiasset*, 1. Ioh. II, 2. coll. C. IV, 10. sed etiam infestissimum salutis nostræ *hostem* subegit Ebr. II, 14. coll. Col. II, 14. 15. Ita quidem ut nunc eam *victoriam*, quam CHRISTVS finito saluberrimo redemptionis opere reportauit, *nostram*, dicere possumus 1. Cor. XV, 57. *Beati ergo illi! qui CHRISTVM sequuntur*, nihil enim est, quod ipsos terreat, nam sub eius *tutela*, requiem inueniunt firmissimam. Insigne sane illud *amoris erat documentum*, imo summum *beneficium*, quod DEVS in vniuersum humanum genus collocare potuerat, dum CHRISTVS pro nobis pugnauerit, nobisque *victoriam*, de maximis nostræ *salutis hostibus* partam, concederit. Qua de causa, hæc præclarum afflictis *solamen* suppeditant, si ob *peccatorum molem* anxi, extremodoque percussi *dolore* circumferantur, cum CHRISTVM, *victorem* atque *Propitiatorem* contemplantur. Certi enim esse possunt, quod etiam ipsi tot *fructuum*, ex salutari hacce *victoria* resultantium, fierent *participes*, quia *salutem* non largissimam tantum sed *maximi quoque momenti*, imo *infiniti valoris* promissim conficiunt. Clementissimum igitur NVMEN æternis extollimus *laudibus*, sumمامque illam *sapietiam*; quantum viribus ineſt, grato celebramus *animo*, qua acerrimos nostræ *salutis hostes* eo adegit, vt saluberrimum illud *redemptionis opus* impedire non potuerint, sed potius maximo furore agitati, se ipsos *vinculos* contemplari coacti fuerint.



rint. Cæterum DEVVM precamur vt & *exiguas* hasce *meditationes* non omni prorsus emolumento destitutas esse iubeat, vtque nos porro SPIRITV suo SANCTISSIMO rectum veritatis inducat tramitem, ac IPSE nos de insignis huius *victoriae* veritate conuincat. Cui etiam pro viribus clementissime hactenus concessis, æterna sit

## LAVS ET GLORIA.

## A V C T O R I

S. P. D.

PRAESES.

**N**umero exigui sunt, qui publicas in academiis disputationes ex studiosorum coetu respondendo & defendendo instituunt. Adhuc exiguiores numero sunt, qui specimina, in utramque partem disputanda, ipsi conficiunt. Numero exiguissimi sunt, qui selecta eruditorum iudiciis exponunt themata. Primæ studiosorum classi, quam constiuit, quod sis annumerandus, ipsum præsens hoc specimen loquitur. Quod ex secunda classe sis, eorum nempe, qui proprio marte disputationes elaborarunt, ego ingenuus testor. Namque CONSCRIPTIS PATRIAE PATRIBVS studiorum tuorum academicorum rationem reddere voluisti. Proinde huic tuo labori a nemine neque aliquid addendum neque demandum fuit, sed ille relinquendus, vt istum enixus es. Annon & ex tertia illorum classe sis & selectum thema proposueris, iudicent alii. Silentium enim mihi imponit modestia. DEVVM precor, vt tuis porro laudabilibus adsit conatibus, & tibi ad eos viam pandat honores, quos diu iam es promeritus. Scribebam Ienæ ipsis Idibus Iulii

A. R. S. M DCC XXXVII.

## CORRIG.

Pag. 14. lin. 6. pro *זוויזו* *לזה* pag. 19. lin. 31. pro *fæminij*, *lege* *fæminini*.

F I N I S.

collidits, A. 94, misc. 23